

ANTI-PUTEANVS,

SIVE

POLITICO-CATHOLICVS,

Stateram Puteani Inducias expendentis aliâ
Staterâ expendens.

*Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem
in cordibus eorum; Psal. 27.*

COSMOPOLI,

Apud Belgam Fidelem. Anno 1633.

PHILIPPO IV.
HISPANIARVM ET INDIARVM
REGVM MAXIMO.

NOn solum inter Belgas & Rebelles Martis castra sunt, REX POTENTISSIME: sed etiam litterarum coruscant arma. Litteratorum aliqui adversus Tuam dignitatem verborum tela & inimicas faces vibrant: alii forti umbone retundere conantur, fallaces male-sanorum consiliorum insidias detegunt, Tuumque nomen liberè & fortiter propugnatum eunt. Ego adversus litteratorum hujus temporis facile Principem in arenam descendere ausus sum: non meâ eloquentiâ fretus (quæ multorum annorum spatio relicta, vix se colligere potest) sed Tui honoris defendendi iusto ardore inflammatus. Igitur adversus ERYCIUM PUTEANVM, Consiliarium & Historiographum tuum arma cepi; hostem, an amicum? Quis dicat hostem, cum Tuis alatur stipendiis? Titulis Tuâ liberalitate datis illustretur? Et in ditione Tuâ adhuc liber garrat? Saltem non amicum testatur eius Statera, quâ Inducias tuo auspicio tractari coepas, publicè sine Tuâ auctoritate, & imprudentissimè examinavit, examinandas omnibus proposuit. Nemo non indignè tulit. Quippe TVAM MAIESTATEM, Auctoritatem, & Potestatem imminuit apud hostes, quam necessitate ad

POLITICO-CATHOLICI Præfatio

Ad Lectorem.

LIBELLVM hunc non torvo oculo leges; quisquis Deum, Regem, & Patriam amas. Politico-Catholicus est: hoc enim nomine eius Auctor gloriatur; quia vel non Politicus, vel Politico-Catholicus videri cupit. Vidisti nuperrimè Erycii Puteani scriptum, nec Politicum, nec Catholicum. Non Politicum, quia Regi & Patriæ malè consulit: non Catholicum, quia ne verbum Religionis facit, & ejus consilium Fidei nostræ puritatem & libertatem labefactat. O Stateram, quam mox omnes non nisi risu & statim secutâ indignatione improbarunt! Hanc igitur Stateram aliâ expendimus. Authoris nomen ne quære. Vnâ manu bilancem gerit, ut judicium hoc Puteani examinet: alterâ gladium, quo Regis arma defendat. Eloquentiam desiderabis: sed has phaleras, belli studium; & dicendi flosculos, longa occupationum certamina abire jusserunt. Tu igitur utramque Stateram diligenter examina, & judicium tuum exacue. *Nam (ut ait Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 9.) eos qui de rebus judicant, acutissimo ingenio esse oportet, ut & eorum qui loquuntur facundiam, & eorum qua dicuntur probabilitatem ac verisimilitudinem missam facientes, sensa ipsa introspicere, atque hinc expiscantes, veritatem haurire queant.* Vale Deum, Regem & Patriam ama.

Epistolam Dedicatoriam imprimis breviter examinabo, deinde singulis Alphabeti litteris respondebo.